Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1539

Quelle:
Copyright:

gaque in *Huſſum* propenſa, cui hic maxime adverſatus fuerat, cum *Nicolao Tarba* Praeſule *Gneſn.* in *Poloniam* abiiſſe, id, quod *Balbinum* in *Bob. docta* latuit. Neque vero memorati III. *Tractatus* in noſtro *Cod.* ſe continuo excipiunt; ſed poſt II. ſequentia interjiciuntur: 1mo. *Intimacio buſſitarum in ſtudio Cracouienſi.* Petunt ſcilicet *Johannes* (a Reyſtein ſ. Reinſtein) *Cardinalis, Petrus pein magiſtri ſtudij pragenſ. locum audiencie* ad defendendos *deo duce et ſcolaſtica ſcriptura quatuor* ſuos *articulos.* Subjecta eſt protinus *Reſponſiua Rectoris Vniuerſitatis Cracouienſis*, et quidem, ut eadem manu additum eſt, *ruſtica*, quam damus: *Notificat rector alme vniuerſitatis ſtudij Cracouienſ. de conſenſu et voluntate reuerendiſſimorum patrum et dominorum Archiepiſcopi ſancte Gneznen. eccleſie ac cracouienſis, Poznanien, et plocen. epiſcoporum quibusdam iohanni qui dicitur cardinalis, Petro pein* (Payne) *anglico, aſſertis magiſtris vniuerſitatis pragen. quod ſuper 4 articulos per ipſos nominatos audiri ſcolaſtice non debeant, cum clare et aperte contineant hereticam prauitatem, et ſint per vniuerſalem eccleſiam condempnati, vadantque ad ſedem apoſtolicam, et ibi expedientur, quod ipſorum doctrina inſana friuola ſedicioſa piarum aurium offenſiua eſt, et tamquam heretica condempnata.* 2do. *Sequitur tractatus Vicleſiſtarum et buſſitarum per eos preſentatus ſereniſſimis principibus, regi polonie et magno duci litvanie.* Sunt IV. illi *Articuli*, prout extant in *Joh. Cochlaei Hiſt. Huſſit.* L. V. edit. *Mogunt.* 1549. f. p. 199. ſed librarius noſter pro anno 1421. ſubnotavit 1420. Et nunc demum *Tertius Stephani Palecz Tractatus* ſuccedit, in cujus *Prooemio* cum de *Pragenſibus* legatur: *Quod expreſſe oſtenderunt in Cracouia Anno domini M°. CCCC^mo. XXI°. poſt conductum paſce, dum informacionem repellentes, quam ficte poſtularunt, dixerunt vero in publica audiencia, quia non venimus informari ſed informare* &c. patet, aliqua tamen ratione eos auditos fuiſſe, ſimulque tempus conſcripti hujus Tractatus innoteſcit. Varia porro hic N. V. et VI. occurrere, quae lucem nondum videre, obſervet Lector.

VII. *fol.* 181. *Joh. Gerſonis Opuſculum tripartitum de Praeceptis, de Confeſſione et Scientia Mortis*, ſine praevia Epiſtola, ut alibi.

VIII. *fol.* 194. p. 2. *Liber Aurelij Auguſtini de Agone chriſtiano.* Incipit: *Corona victorie non promittitur niſi certantibus* &c. et legitur edit. *Maurianae* T. VI. p. 245.

IX. *fol.* 204. *Vberti de Lampugnano* Repetitio hoc ingreſſu: *In nomine indiuidue trinitatis eius beate matris Sancte katherine ſcolarum patrone nec non tocius celeſtis curie, amen. Repetiturus c. unicum ſituatum ſub rubrica De rerum permutatione li. VI. alijs prefacionibus obmiſſis* &c. Ad calcem: